Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35998
Copyright: Melk, Benediktinerstift

aqua ad supplendum vini defectum ex precepto xpi.
Vocat sponsum architriclinus arguendo eum. et
dicit ei Omnis homo prudens agens primum bonum
vinum ponit et apponit ipsis conviviantibus. quia tunc
sensus vivax potest discernere vini bonitatem et accep-
tare. et cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est
apponit ipsis conviviantibus quia tunc nescientes discerne-
re inter bonum et malum. tu autem inprudens et in-
contrarium fecisti et servasti vinum bonum usque adhuc.
Hoc fecit inicium signorum ihesus in chana galilee.
et manifestavit gloriam suam. potenciam et veritatem
divinitatis in eo latentis. et crediderunt in eum
discipuli eius.

Post hoc scilicet post mutacionem
aque in vinum descendit in capharnaum metropo-
lim galilee ipse et mater eius. iam enim joseph mortuus
comitabatur matrem suam. ad impendendum ei debitum
obsequium. et fratres eius. non quia erant filii matris eius
sed cognati eius. quia illi qui sunt de eadem cognacione fre-
quenter dicuntur fratres in scriptura. et discipuli eius. et manse-
runt ibi non multis diebus. quia imminebat tempus eundi
in iherusalem. Erat enim prope pascha iudeorum. Et ascendit ihesus
ierosolima. et invenit in templo non in domo dei
in qua erat altare thimiamatis et candelabrum.
nec in atrio sacerdotum in quo erat altare holocau-
storum. sed in atrio ubi homines orabant et doctores
docebant. vendentes boves et oves et columbas. et
nummularios sedentes. quia aliqui de longinquo
venientes. ista non poterant adducere secum. et ideo sacer-
dotes cupiditate ducti statuerunt homines talia
ibi vendentes. ut venientes de longinquo non